





10  
Disputatio VII.  
DE PERSONA  
ET MAIESTATE DOMINI  
nostri Iesu Christi,  
EX TERTIO ARTICULO  
Confessionis Augustanæ:

*Cuius Theses,*

ÆTERNO DEO AUXILIANTE,  
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiæ  
Doctore & Professore, VDALRICUS NAGEL  
Brandenburgicus, in privato Collegio Dispu-  
tationum Theologicarum, die 11. Au-  
gusti tueri conabitur.



UUTEBERGÆ  
Excudebat Vidua Matthæi  
VVelaci.

---

M. D. XCIII.

DE REVERENDISSIMO PATRI  
D. EPISCOPO ALEXANDRO

DE DOMINA  
ET MATRI S. DOMINI  
BY FERDINANDO AUSTRIACO  
Consulens Augustinus

REVERENDISSIMO PATRI  
FRANCISCO ALEXANDRO  
D. EPISCOPO ALEXANDRO  
D. EPISCOPO ALEXANDRO

REVERENDISSIMO PATRI  
FRANCISCO ALEXANDRO  
D. EPISCOPO ALEXANDRO  
D. EPISCOPO ALEXANDRO



Excudit Vidua Matthesii

V. claci

M. D. XCIII.



# DE PERSONA CHRIS- TI DISPVTATIO.

## Propositio prima.

**P**ost explicatam miserabilem cladem ac sortem ho-  
minis lapsi, sequitur in Augustana Confessione ar-  
ticulus, qui redemptionis mysterium profitetur, &  
de Seruatore Christo, persona, officio & beneficijs  
eius tractat. Hac vice de Persona ipsius in timore  
Domini conferemus.

2. Filium Dei siue λόγος prædicat Augustana Confessio as-  
sumpsisse naturam humanam in utero beatæ Mariæ virginis, vt  
sint duæ Naturæ, diuina & humana, in unitate personæ insepa-  
rabiliter coniunctæ, unus Christus, verus Deus & verus homo.

3. Hæc unio non est partialis quædam coniunctio, qua  
Deitatis pars unita sit carni: sicut aliqua orbis pars suam plane-  
tam, & annulus quadam sui parte gemmâ attingit & continet.

4. Sed λόγος totus, partem extra partem non habens, totali-  
ter incarnatus seu carni personaliter unitus est, talem sibi in-  
assumpta natura inhabitationem faciens, qualem & anima ho-  
minis habere creditur ad proprium corpus, ut D. Cyrillus in  
Epistola Synodica scribit.

5. Hinc orthodoxi Patres λόγος carne vestitum, indutum,  
& circumamictum esse confitentur.

6. Hinc carnem aiunt χωρῆσαι, capere & comprehendere  
totum λόγος, eiusq; P L E N E capacem esse, & λόγος substans-  
tialiter in ea quiescere, adeoq; intra circumscriptionem eius  
hominis, qui in Iudæa apparuit, credendum esse.

7. Hinc humanitatem dixerunt esse δοχεῖον καὶ περιβολῆν,  
receptaculum & amiculum verbi: & huius cum carne copula-  
tionem, hanc ob rem, σάρκωσις, ἐνσάρκωσις, ἐνσωμάτωσις καὶ  
ἐνωθρώπησις, incarnationem, incorporationem, & inhumana-  
tionem appellare non dubitarunt.

8. Hinc Christus ipse corpus suum Templi nomine desi-  
gnare voluit. Iohan. 2. relatione videlicet ad λόγος, omni pleni-  
tudine suæ Deitatis in eo habitantem, vt Apostolus exponit,  
Coloss. 2.

9. In qua ἐξαιρέτως καὶ μονοτροπῶς eximia & singulari inhabi-  
tatione & immanentia totius plenitudinis Deitatis in Carne,  
quia ipsa personalis Unio tota consistit & absolvitur: palam  
est, ibi coniunctionem inseparabilem istam evacuari & unio-  
nem solvi, ubicunq; fingitur ὁ λόγος non habitare & imma-  
nere in Carne, sed extra eam consistere.

10. Præsertim cum hac imaginatione fanatica non aliqua  
Verbi pars, (partes enim habet nullas) sed totus ἀμείσις &  
impartibilis λόγος tota sua hypostasi omniq; plenitudine Dei-  
tatis extra Carnem ponatur, si ullibi extra eam esse dicatur.

11. Certum igitur est, Unionem ipsam funditus everti,  
quando fingit pars adversa, Filium Dei uno eo loco, in quo  
per essentialis proprietatem Caro Domini versatur, esse in car-  
ne, in cæteris autem locis infinitis extra eam esse constitutum.  
Quod Apostolico pronunciato Iohannis (Verbum Caro factum est)  
ut & Paulinæ asseverationi modo dictæ repugnat è diametro.

12. Hac inhabitatione & totali immanentia Verbi in as-  
sumpta carne non finitus efficitur ὁ λόγος, sed potius ad im-  
mensæ personæ præsentiamq; suæ maiestatem naturam evehit  
humanam, se ipsa perpetuò & immutabiliter finitam perma-  
nentem.

13. Neq; enim Caro assumit λόγον, ut illum ad finitatem su-  
am redigar: sed λόγος assumit carnem, ut eam infinitæ ὑποστά-  
σεως maiestatisq; suæ solidissima realissimaq; κοινωνία partici-  
pium reddat.

14. Quanquam igitur incarnatio non alibi locorum, quam  
in ipso virginali utero matris per Spiritus sancti obumbratio-  
nem perfecta est: & quanquam est in confesso, exinanitionis  
tempore carnem Domini fuisse ut reliquis indigentia humanæ  
circumstantijs, sic & localitati subiectam, secundum quam in  
suis itineribus & progressionibus locum unum post alterum  
subijt rursusq; evacuavit verè: & denique licet etiamnum  
iuxta corporis sui modum esse possit, ubicunq; vult: tamen  
longè alia quæstio est, cum inquiritur, quorsum Caro Christi  
per hanc cum λόγος arcanam unionem & admirandam assum-  
ptionem pervenerit.

15. Hic namq; fateamur oportet, non eam esse huc vel il-  
luc, in hunc vel istum, quemcunq; locum, personaliter assum-  
ptam

g. 110

ptam (siquidem in loco aut localitate suam personalem ὑπαρξίην nequaquam obtinet) sed in purissimam verbi hypostasi esse per Unionem euectam; in qua etiam diuina hypostasi verbi suam, ut Damascenus scribit, ὑπαρξίην & existentiam habet.

16. Proinde nec respectu huius vel illius loci habet illam sibi ὁ λόγος vel unitam vel praesentem, sed respectu suae istius ὑποστάσεως in qua Christi Redemptoris Caro personaliter existens omnem totius creati mundi localitatem inenarrabiliter transcendit.

17. Quae cum ita sint, inter duplicem existendi alibi modum accurata diligentia fuerit distinguendum.

18. Prior est localis, partim ex essentiali proprietate Carnis, οὐσατικῆν videlicet finitate naturae; partim ex accidentali conditione forinsecus ambientis loci, existens. Alter est illa, de qua Damascenus loquitur, ὑπαρξίς seu existentia carnis ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, id est, in ipsomet verbo; nata non ex conditione carnis, sive essentiali sive accidentali, sed ex unione ipsa, & assumptione Humanitatis IN DEVM, ut Divi Athanasij Symbolum habet.

19. Priorem modum essendi in loco, habet Homo Christus cum caeteris hominibus communem: posterior modus existendi supra & extra locum in ipso altissimo Verbo, est Christo unice proprius planèq; singularis, ἐξάρετος καὶ μονότροπος, ut erudita vetustas tradit.

20. Prior modus spectatur in termino mutabili, loco videlicet, quem sua progressionem caro Christi mutare subinde & evacuare potuit: posterior fundatur in invariabili termino, ipsa nimirum aeterna τῷ λόγῳ hypostasi, è qua Christi Caro, semel cò translata, nunquam in omnem perpetuitatem excutitur aut emovetur.

21. Ratione prioris consideratur Humanitas Domini Iesu in creata localitate: ratione personalis suae ὑπαρξίως (libet enim emphatica voce Damasceni mysterium hoc explicare) non spectatur in creaturarum accidente, loco, sed in hypostasi creatoris, atque sic non in hoc, sed in alio quasi mundo, ut Divus Lutherus scribit, nimirum extra & supra loca omnia, in ipsamet purissima Deitate Unigeniti Filij.

*duplici alibi existendi modo*

*1. Localis*

*2. ὑπαρξίς ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ*

*An Caro Christi esse  
localis sit in verbo*

22. Si ergo quæretur, anne Caro Immanuelis locali ratione sit in verbo: negatur, & negationis huiusce ratio datur hæc, quia unio ipsa non est localis.

23. Cum enim modus imitetur naturam sui principij, ceriè qualis est Unio, talis sit oportet & modus ὑπάρξεως, ex ea unione Carni proueniens. Unio non est localis. Ergo nec modus personalis ὑπάρξεως & existentiae humanitatis in λόγῳ localis esse fingendus est.

24. Si verò non localis: illocalis igitur, & proinde non foris in localitate mundi, extra personam verbi, sed intus, in ipso met verbo extra loci localitatisq; respectum considerandus.

25. Ex quo sequitur, ubicunq; λόγῳ est, habere illum naturam sibi associatam non modò præsentem, sed toto planè genere præsentiozem quàm creaturarum ullam aliam, & quam ulla mens cogitare, nedum lingua hominis effari queat.

26. Quanquam enim, ubicunq; filius Dei est, ne à cæteris quidem creaturis per spacia locorum abest: tamen hæc manet inter λόγον & creaturas æterna διάστασις, quòd personæ τοῦ λόγου participes non sunt, ideoq; licet, quoad sustentationem, in ipso sint, vivant & moveantur: tamen ratione substantiæ sunt extra λόγον & λόγῳ vicissim extra illas, quia extra omnia, ut Divus Athanasius testatur.

27. Cum sola Humanitate Christi sic omni modo ἀδιάσπαστως se univit Dei filius, ut (sola essentiae distinctione excepta) nulla prorsus διάστασις, neque loci ratione, nec quocunq; alio modo descripta, naturas unitas separare queat, atq; idcirco neque Caro extra λόγον, neque λόγῳ extra carnem post semel factam unionem fingendus sit.

28. Hanc unionem haud absq; naturarum κοινωνίᾳ reali vel factam vel definiendam esse statuimus.

29. Etenim cum sit una tantum utriusq; naturæ persona, necesse est, ut ea sit utriq; naturæ verè communis: adeò ut Damasceno explicante verbi hypostasis sit etiam carnis facta hypostasis, quod absque reali communicatione hypostaseos illius constare in æternum haud potest.

30. Aut enim ἀνδυπόσατο καὶ ἰδιοῦσατο sit oportet Natura Christi humana, aut si ἀνδυπόσατο non est propriaque personalitate caret, personæ τοῦ λόγου verè realiterq; comunicabit.

31. Quo



31. Quo sensu D. Cyrillus de recta fide ad Theodosium scribens, verbum Humanitati **COLLATVM** & ineffabiliter unitum esse confirmat.

32. Et Divus Athanasius de Natura humana suscepta contra Apollinarium, atque Athanasium secutus Damascenus ad imperscrutabilem hanc *κοινωνίαν* naturarum penitus exprimendam non dubitant propositionis à Ioanne usurpatæ terminos convertere: ut quemadmodum inquit Evangelista: verbum caro factum est: sic & carnem verbum esse factam pronunciant, non quòd amiserit id, quod erat, sed quòd cum verbo idem effecta sit, quantum pertinet ad personam, inquit Damascenus.

33. Et quia **PARTICEPS** factus legitur filius Dei carnis & sanguinis, Heb. 2. utique vicissim caro & sanguis in solidam realemq; *κοινωνίαν* filij Dei venerint necessum est.

34. Quod Divus Basilius intellexit, cum scribit, humanam *Basilius in* Domini carnem factam esse **DEITATIS** participem. *Sanctam*

35. Et Gregorius Nazianzenus refert, Carnem in consortium Deitatis assumptam: planè ut & Eusebius illam ad communionem in Divinitate assumptam, & Damascenus naturæ divinæ *Natiuitatem.* καὶ ὑπόστασιν participem redditam asseverant.

36. Abominamur igitur eorum furores, qui Verbum assumptæ naturæ sic unitum autumant, ut ex hac unione Humanitati nihil, quod infinitum est, communicatum, sed finita duntaxat dona, creatam sapientiam, limitatamq; potentiam ei tributam esse contendant, hoc ipso magnum hoc pietatis mysterium in eiusmodi coniunctionem transformantes, qua unâ cum re & definitione ipsum quoq; nomen amittat, ut **PERSONALIS** unio dici nullo modo possit.

37. Unio namq; Personalis sic debet esse comparata, ut Deum faciat hominem, & hominem naturalem istum ex virgine sumptum revera Deum constituat.

38. Quemadmodum scriptum est: Germen Davidis est Iehova, Verbum est Caro, filius hominis est filius Dei vivi, secundus homo est ipse Dominus de cælo.

39. Hoc autem præstare nequeunt dona finita, quàmlibet sublimia, sed illa, de qua modò disservimus, divina *κοινωνία.*

κοινωνία quæ carni obtigit, tum illa μεθεξῆς carnis atque sanguinis, quam Dei filio Spiritus sanctus. Heb. 2. adscribit.

40. Ex his præsuppositis æstimatur ac dependet veritas eorum omnium, quæ in Augustanæ Confessionis articulo sequuntur, & doctrinam de idiomatum κοινωνία continent-

1  
quomodo Humanitas  
propria Deo competat.  
41. Ea dividuntur in hæc duo capita, quomodo Humanitatis propria Deo, & Deitatis idiomata Homini Iesu Christo competant.

42. Prius eminent in articulis humanæ nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis & ascensionis Christi. Posterius enitescit ipsius à dextris Dei sessione.

43. Prius quod attinet, testantur sacræ literæ, Christum unum esse filium, licet bis sit natus, ab æterno à Patre quæ Deus: in tempore idem iste filius Dei, ex Maria matre, qua homo: divina sua generatione ἀμίτωσ, humana verò nativitate ἀπάτωσ.

44. Quanquam ergò nasci ex homine proprietas est naturæ humanæ, non diuinæ: tamen non humana Christi natura seorsim nascitur, quæ seorsim non est, sed ipsemer unigenitus Dei filius ex Maria natus prædicatur.

45. Qui ut naturam ipsam sibi personaliter associavit ἀμέσως καὶ πρώτως, sic ἐμμέσως καὶ ἐπομένως Naturæ huius assumptæ attributa, κατὰ τὸν τῆς ἰδιοποιίας τρόπον, sibi appropriavit: ut quemadmodum hæc Caro non est alterius quàm unigeniti filij Dei caro, cuius ipse ad similitudinem puerorum seu fratrum suorum particeps factus est. Heb. 2. Sic & humana Carnis huiusce nativitas non ullius alterius, quàm ipsiusmet Verbi seu filij Dei nativitas habenda sit.

46. Hinc non Caro seorsim, sed secundum Carnem αὐτότατον ὁ λόγος ex Maria virgine natus est, teste Gabriele angelo, Luc. 1. teste Paulo Apostolo, Gal. 4. teste Elisabetha matre Baptistæ, quæ ex Spiritu sancto Mariam matrem DOMINI prædicat Luc. 1. teste iterum Paulo, qui perhibet, filium DEI natum esse ex semine David secundum carnem, Rom. 1.

47. Eodem modo non Caro seorsim memoratur passa, crucifixa, mortua & sepulta: sed persona ipsa, cuius hæc caro propria est, nempe Dei filius passus est carne, 1. Pet. 4. Dux vitæ occisus, Act. 3. Dominus gloriæ crucifixus, 1. Cor. 2. proprius

prius Dei filius pro nobis omnibus traditus Rom. 8. qui & tradidit SEMETIPSUM pro nobis, Gal. 2. atque sic Deus sanguine SVO mercatus Ecclesiam est, Act. 20.

48. Vt enim Hominis, non Dei naturaliter proprium est nasci, pati, crucifigi, mori: sic non nudi hominis, sed ipsius Dei est, NOBIS nasci, Esa. 9. Luc. 2. PRO NOBIS tradi, Rom. 8. PRO NOBIS & in remissionem peccatorum nostrorum pati ac mori, Esa. 53.

49. Sic quoque λόγος vitae oculis hominum visus & illorum manibus palpatus legitur, 1. Iohan. 1. exclamante Thoma, cum palpasset Dominum; DOMINVS meus, & DEVS meus. Iohan. 20.

50. Ex quo Divus Athanasius, à posteriori ratiocinando, illam arcanam & imperscrutabilem filij Dei cum carne κοινωνίαν colligit & admiratur, ita in tractatu suo de natura humana suscepta scribens: Ille ipse Deus factus est caro, ut ipsius Caro efficeretur Deus verbum. Quemadmodum Thomas palpator ipsius carnis proclamavit: O qui es Dominus meus, & Deus meus, VTRVMQVE simul Deum appellans. Itidem & Iohannes scripsit: quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ palpaverunt, de verbo vitae. Satis ergo constat, in Carne filium & Patris verbum palpatum esse, & ILLVD \* VTRVMQVE, quod SIMVL palpatum erat, Verbum vitae sacrae literæ appellaverunt. Hæc Athanasius.

51. Damnamus igitur allæosin Zvvinglij, quam & hodie Calviniani defensant, Beza in primis in Colloquio Mompelg. scripto ibidem Collocutoribus tradito, non veritus affirmare, se hanc enunciationem, qua Deus dicitur passus, sic interpretari: Deus, id est, Caro Deitati unita est passa.

52. Pari modo quod scribunt nonnulli, solam Christi Humanitatem esse passam: cum non sola passa sit Humanitas (licet huius solius naturaliter proprium sit pati) sed ipsemet Unigenitus λόγος sit passus, non quidem secundum inconvertibilem suam Deitatem, sed iuxta hanc propriissimam suam humanitatem, per illius admirandam appropriationem, & sui ipsius communicationem ineffabilem, qua se totum assumptæ Carni sic communicavit, & (ut Cyrillus ait) contulit, ut impossibile foret,

*Caro efficitur Deus, non per conversionem naturæ, sed per unitatem. & κοινωνίαν, imò ταυτότητα της υποστάσεως.*

*\* Illud utrumque, id est, λόγον & Carnem,*

B foret,

foret, hanc carnem attingi aut crucifigi, quin ipsissimum Verbum vitæ tam realiter attingeretur & crucifigeretur, quam reali κοινωνία sese cum hac carne univit.

2.  
Quomodo Deitati pro  
pria assumptæ Carni  
Communicata credenda  
sunt.

53. Alterum caput, quod in doctrina communicationis Idiomatum accurata diligentia examinandum venit, est in eo positum, ut explicetur, quomodo vicissim, quæ Deitatis sunt, assumptæ Carni communicata credenda sint.

54. Ad huius considerationem deducit nos Augustana Confessio his verbis: deinde ascendit ad cœlos, VT sedeat ad dextram Patris, & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis &c.

55. Dextra Dei nihil aliud, quàm potentiam & Maiestatem Dei significat, quæ uniuersa in cœlis & in terris condidit, sustentat, gubernat, & liberrimè moderatur. Psalm. 18. 77. & 118. Esa. 48.

56. Hæc nulli loco est inclusa, quia extra & supra omnem locum, nec alicunde exclusa, quia ubiq; præsens. Psal. 139.

57. Ad hanc dextram euectus & exaltatus est Christus, non Deitate sua. Hos enim in societatem suam Arius rapit, inquit Leo primus, quicumq; Christi exaltationem ad divinam ipsius Naturam detorquent.

58. Exaltata quidem persona est, quod nostrum inficiatur nemo, exaltata verò ratione carnis, iuxta quam prius sese ad mortem vsque crucis humiliaverat, Phil. 2.

59. Et confedit Christus à dextris Dei respectu eius naturæ, quæ & in cœlos ascendit: cohærent enim isti articuli ἀσχωματῶν: ascendit in cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis.

60. Hunc utriusq; articuli nexum pulcherrimè nobis ostendunt prædicta verba confessionis, ascendit in cœlos, VT sedeat ad dextram Dei. Vbi vocula (VT) sessionem illam ad naturam ascendentem sole meridiano clarius restringit.

61. Cum enim humanitate sua, Christum in cœlos ascendisse constet, qualis, obsecro, hæc esset locutio, si quis insaniat, Christum sua humanitate ascendisse in cœlos, ut Deitate sua sederet ad dextram Dei?

62. Num enim putabimus, vel Deitatem Verbi esse à dextrâ Dei diversum quid, ut ad eam collocari queat, vel Deitatem hoc

Dextra Dei

hoc impetrari per ascensum Humanitatis, ut à dextris Dei con-  
sedeat?

63. Ergò fixum firmum est, hunc à Dei patris dextra con-  
fessum obtigisse Christo, quâ homo est seu quâ filius hominis,  
ipsomet Christo interprete, Luc. 22. amodò videbitis FILI-  
VM HOMINIS sedentem à dextris virtutis Dei.

64. Iam quid gloriæ per hanc sessionem à dextris Dei con-  
cessum sit Christo, fuerit disquirendum.

65. Toto cœlo errant, qui naturæ Salvatoris humanæ dona  
quidem excellentissima concessa scribunt, Maiestatem verò  
Dei propriam esse & manere carni simpliciter ἀκοινώνητον, ex  
Nestorij clibano & barathro emugiunt.

66. Nos ut habitualement istam gloriam exaltatæ naturæ non  
derogamus, sic ijs divinissimam hanc sessionem in dextra Dei  
describendam esse, constantissimè pernegamus.

67. Illa namq; creata sunt, finita sunt, dimensa sunt, ad bea-  
torum hominum & angelorum gloriam, servata graduum di-  
stinctione comparabilia sunt.

68. Potentia verò dextræ Dei, ad quam Christus quâ ho-  
mo, est euectus, increata est, infinita est, & ab omnium angelo-  
rum excellentia toto genere differt. Cui enim dixit unquam  
angelorum: sede à dextris meis? Heb. 1.

69. Indubitanter igitur affirmamus, Christum ratione car-  
nis suæ hac exaltatione in plenarium usum omnipotentissimæ  
Maiestatis dextræ DEI solenniter introductum esse.

70. Hoc enim est sedere in dextra Maiestatis, Heb. 1. imò  
in dextra POTENTIÆ DEI. Luc. 22.

71. Hinc filio hominis in illo throno maiestatis divinæ da-  
ta scribitur ÆTERNA POTES TAS. Dan. 7.

72. Quam Christus potestatem nominat super omnem  
carnem, Iohan. 17. imò potestatem OMNEM in cœlo & in  
terra, Matth. 28.

73. Et certè sessione hac in dextra Dei illustratam esse po-  
tentiam Iesu Nazareno respectu glorificatæ naturæ humanæ  
concessam, quòd ea sit potentia increata Deiq; propria, splen-  
didissime docet Confessio Augustana, superioribus sequen-  
tia sic atroxens: ascendit ad cœlos, VT sedeat ad dextram  
Patris,

*ad gloria throno & sedis,  
sionum ad dextris &  
concessum sit*

Patris, ET PERPETVO REGNET ET DOMI-  
NETVR OMNIBVS CREATVRIS.

74. Dicitur prius est, *κράτος* esse interpretationem eam, quæ fingat, Christum humanitate sua ascendisse ad cælos, ut Deitate sua sedeat ad dextram patris & dominetur omnibus creaturis: cum Deitati nihil impetrari quiverit humanitatis ascensu, & Deitas nunquam non creaturas omnes efficacissime rexit & gubernarit.

75. Quoniam ergo cohærentia verborum ipsiusq; rei veritas evincit, dominium illud Christo secundum ascendentem naturam per sessionem ad dextram Dei collatum: irrefutabili consecutione infertur ea, quam in nostris Ecclesijs docemus, Omnipotentia filij Dei realis communicatio: citra cuius participationem Christus quâ homo nunquam in æternum dominari omnibus creaturis posset.

76. Cum enim dominari omnibus creaturis scriptura iudice solius sit omnipotentia Dei, Iob. 36. 37. 38. & 39. quisquis hanc omnipotentiam Dei Verbi communicatam assumptæ naturæ negat, is simul etiam dominium hoc creaturarum omnium ei derogat necesse est.

77. Unde nemini obscurum esse debet, Calvinistas negando omnipotentia communicationem Christi secundum carnem, Augustanæ Confessioni etiam in hoc articulo æternum valedixisse: imò Spiritus sancti testimonio reluctari, qui luculenter enunciat, Christum in die Exaltationis suæ constitutum esse Dominum super opera manuum Dei, omniaq; illi esse subiecta, oves & boves universas, insuper & pecora campi. Psal. 8.

78. In hoc autem, quod ei subiecit omnia, nihil omisit illi non subiectum. Heb. 2.

79. Idcirco collocatus scribitur ad dexteram Dei in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & supra omne, quod nominatur non solum in seculo hoc, verumetiam in futuro, Ephes. 1.

80. Ex quo rursus apparet, quàm procul ab Augustanæ Confessionis orthodoxia & societate absint, quibus illa Maiestas, quam in dextra Dei habet Christus secundum carnem, partim donorum creaturarum mensurâ finitur; partim officij, quod in Ecclesia peragitur, limitibus terminatur, ita tamen, ut ab omnibus

nibus divinis actionibus istius officij sit exclusa. Natura Christi, assumpta: ad dominium verò creaturarum omnium hanc glorificatæ carnis maiestatem sese proferre negant.

81. Sed & eorum dogma à sensu verborum Confessionis Augustanæ dissidet, qui Christo quidem traditum concedunt dominium super omnes creaturas, sed ita, ut regnet super illas non præsens sed absens: quod cum natura regni dominijq; Christi penitissimè pugnat.

82. Hoc quidem verum est, si è throno locali quodam gubernationem istam perficeret, planè consecuturum, ut absens gubernet, non præsens.

83. Iam verò Thronum regni Christi commonstrat Augustana Confessio non hunc vel illum locum cœli, sed ipsammet Dei dextram nullibi vel absentem vel exclusam.

84. Ex hoc igitur omnipræsentia throno, dextra videlicet Dei, quia Christus res creatas simul omnes gubernat: utique iam non secundum rationem illius cœlestis  $\pi\delta$  (in quo Christi Humanitas naturæ conditione versatur) absens, sed iuxta modum dextræ Dei præsens universa regit & administrat.

85. In manibus enim habet omnes creaturas, patre ei omnia dante in manus, Iohan. 3. & 13.

86. Proinde est sanè Christus, quâ homo, etiam Ecclesiæ suæ in dextera Dei præsens, iuxta illud; Ego sum vobiscum vsque ad consummationem seculi, Matth. 28. Quemadmodum Evangelista Marcus scribit, Dominum, posteaquam ascendit in cœlum & sederit ad dextram Dei, Apostolis egressis & ubiq; prædicantibus esse cooperatum, Marci 16. Et Iohannes vidit illum, quâ filius hominis est, in medio Ecclesiarum Asiæ (quas aureorum candelabrorum nomine designat) ambulantem, Apoc. 1. & 2.

87. Est verò etiam extra Ecclesiam præsens, ut qui dominatur ad dextram Dei **IN MEDIO** inimicorum suorum, Psal. 110.

88. Quin est & dominatur præsens omnibus creaturis. Quod Divo Apostolo est **OMNIA IMPLERE**, cum inquit: Ascendit supra omnes cœlos, ut **IMPLERET OMNIA**. Ephes. 4. id est, ut ubique præsens sit & operetur: quemadmodum non **IMITATI** **AV** **B** **V** **3** modum

modum confirmata scripturae dicta phrasin illam Apostoli de-  
clarant. Ierem. 23. & Sap. 1.

89. Atque hoc adeo in Ecclesijs Augustanam Confessionem  
amplexis certum & decantatum est, ut etiam sacrorum Bib-  
liorum codici a Luthero sit insertum, quando ad locum Pauli-  
num, Ephes. 1. annotat, in marginali glossa: **CHRISTUS EST**  
& agit omnia opera in omnibus creaturis, ideoq; plena ipse  
est omnis creatura.

*Quomodo omni Tertio  
Majestas sit asserenda.*

90. Haec autem omnipraesentiae Maiestas sic asserenda est,  
ut ne fingatur aliqua sive extensio naturae humanae per loca  
mundi, vel inclusio localis in creaturis, lignis, lapidibus, can-  
tharis cerevisarijs &c. Sic enim potius contineri diceretur &  
comprehendi a creaturis, quam illas comprehendere & conti-  
nere.

91. Articulus autem sessionis in Throno Dei describit no-  
bis praesentiam talem, qua Christi glorificata Humanitas acti-  
ve **CONTINET** & in manibus habet omnes creaturas, non  
vicissim **CONTINETVR** a creatura, ut in ea lateat inclusa.

92. Haec est constans doctrina Ecclesiarum Augustanae  
Confessionis, clarissimis verbis repetita in Epitome libri Con-  
cordiae, ubi legitur, Christum etiam quia homo est, omnibus  
creaturis esse praesentem.

93. Et in ipso Concordiae libro asseritur, quod Christus  
non communi ratione, ut alius quispiam sanctus, in caelos as-  
cenderit, sed ut Apostolus testatur, super omnes caelos ascen-  
derit, omniaq; vere impleat, & **VBIQUE** non tantum, ut Deus,  
sed etiam ut Homo **PRÆSENS** dominetur & regnet.

94. Citat insuper & approbat Liber Concordiae verba Lu-  
theri, dicentis, Christum secundum humanitatem divino illo  
& caelesti praesentiae modo ita mirabiliter esse, in, & apud om-  
nes creaturas, ut ipsum non includant, circumscribant aut com-  
prehendant, sed potius ut eas ipse praesentes sibi habeat, cir-  
cumscribat & comprehendat.

95. Et rursus, quod ait: Quia Christus talis est homo, ut  
extra hunc hominem nullus sit Deus, necessario conficitur,  
quod etiam iuxta tertiam supernaturalem modum **SIT** & esse  
possit **VBIQUE, VBI DEVS EST**: ita ut omnia plena sint  
Christi, etiam **IUXTA HUMANITATEM**: non quidem  
secun-



secundum primum illum corporeum & comprehensibilem  
modum, sed iuxta supernaturalem divinum illum modum.

96. Repetitur eadem hæc doctrina in Apologia libri Con-  
cordiæ, videlicet quod totus Christus etiam secundum assum-  
ptam humanam naturam omnia impleat, & omnibus creaturis  
dominetur PRÆSENS NON ABSENS.

97. Nec esse novam & in Ecclesijs Augustanæ Confessionis  
incognitam hanc doctrinam, sed probè notam, & partim vi-  
vo adhuc Luthero, partim mortuo illo fideliter traditam &  
propagatam, testes sunt, Princeps Georgius Anhaltius, in li-  
bro de Sacramentis idem ad amussim docens: Iustus Jonas in  
Acta Apostolorum: Iustus Menius de Spiritu Anabaptistarum  
discerens, & hanc de maiestate Omnipræsentia Christi secun-  
dum humanitatem fuse nervoseq; defendens, suffragante ei  
Præfatione sua Luthero, Tom. 2. German. VViteb.

98. Similiter Andreas Althemerus in conciliationibus feri-  
pturæ: Daniel Greferus Superintendens Dresdensis in Evan-  
gelium de Ascensione Christi, Nicolaus Ambsdorfius in suis  
Propositionibus, Iohannes Lonicerus super 110. Psalmum:  
Iohannes Kymæus Hafsia Superintendens in libro de Conci-  
lio Gangrensi: Ioannes Spangebergius in suis quæstionibus  
Catecheticis, Casparus Huberinus in Conclusionibus suis: Eras-  
mus Alberus in libro contra Carolstadianos: Ioachimus Mor-  
linus in Evangelium de Ascensu Christi in cœlos: M. Chri-  
stophorus Fischerus in Methodo doctrinæ: Simon Musæus in  
Postillari expositione Evangelicorum: VVigandus in libro suo  
de Omnipræsentia: ipse denique Hefshulius in sexta sua con-  
tione de Agnitione Dei, ut & super Epistolam priorem ad Co-  
rinthios.

99. Quæ cum ita sint, ridiculos sese præbent Calvinistæ qui  
ex consensu Iesuiticæ factionis adversum nos argumentum,  
tanquam ex arena funiculum nectunt, ut obtineant, nos ab Au-  
gustana Confessione descivisse, utpote in cuius tertio articu-  
lo nulla fuerit tempore oblata Confessionis inter nostros &  
Pontificios dissensio, cum quidem hodie Pontificij doctrinæ  
de Omnipræsentia Christi plenis tibijs reclamant.

100. Demon-

100. Demonstrare autem Calviniani nunquam poterunt, Pontificios eorum temporum in hac doctrina Lutheri de Ubiquitate, quantumvis ab ea fusissimè tradita, vel tantillum reprehendisse aut desiderasse.

201. Quod si ne litera quidem proferri potest: invertere licebit argumentum, & concludere, quod tum temporis ipsi etiam Pontificij à nostra hac sententia non fuerint alieni: id quod ne Calvinus quidem dissimulare potuit super 20 caput Iohannis, ut & Bullingerus in Commentarijs super Acta Apostolorum: qui disertè scribunt, Pontificios Ubiquitatem corporis Christi asserere.

102. Quod verò nova factio Iesuitarum, quæ multò post demum extitit, diversum sentire, & cum hostibus gloriæ Domini nostri Iesu Christi, Zvinglianis, se coniungere cœpit: nihil id fraudi esse debet actis prioribus, multò minus ex illorum vel consensu vel dissensu quicquam de genuina sententia Confessionis Augustanæ iudicare licet.

F I N I S.



AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK







10  
Disputatio VII.  
DE PERSONA  
ET MAIESTATE DOMINI  
nostri Iesu Christi,  
EX TERTIO ARTICULO  
Confessionis Augustanæ:

*Cuius Theses,*  
ÆTERNO DEO AUXILIANTE,  
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiæ  
Doctore & Professore, VDALRICUS NAGEL  
Brandenburgicus, in privato Collegio Dispu-  
tationum Theologicarum, die 11. Au-  
gusti tueri conabitur.



UUITEBERGÆ  
Excudebat Vidua Matthæi  
VVelaci,  
M. D. XCIIII.

